

55
I. N. J.

De

BARBA

Sub

Moderamine

VIRI

AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqv. Prof. Publ. Celeberrimi, Facult. Philos.

Adfessoris gravissimi, Min. PP. Collegii Colle-
giati longè meritissimi,

Domini Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui
æternum suspiciendi, colendi,

Die VI. Decembr. Anno M. DC. LXXI.

Disputabit

GOTHOFREDUS BARTHIIUS, Lipf.

Phil. & LL. Studios.

AUTOR.

LIPSIÆ,

Typis RITZSCHIANIS.

Anat.

B.

5250,4

Disputat 30.9

24.

J. N. J.

DO

BARRA

Medizin

1711

AMT DER UNIVERSITÄT

JOH. M. LAURENTIUS

Publicus Professor der Medicin

in der Universität zu Halle

in Halle

Disputatio de ...

de ...

... ..

...

OTTO ...

...

...

Procemium.

Nter ornamenta illa, quibus mulieres elegantem sibi formam solent reddere, haut infimum locum sibi vindicat coma. Nam si quæ maxime sit venustissima, & ut Apulejus loquitur (a), cælo dejecta, mari edita, fluctibus educata, imò si Venus ipsa fuerit, si omni Gratiarum choro stipata, totòque cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans: tamen, si calva processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo. Est quippe Ovidii (b) iudicio

*- - - turpis sine frondibus arbor,
Turpis equus, nisi colla iube flaventia velent,
Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est.*

Quantam ergò fœminis coma sua formositatem conciliat; tantam quoque viros Barba pulchritudine decorat. Namque ut idem Poëta (c) canit:

Barba viros hirtaq; decent in corpore setæ.

Atque hanc Barbarum elegantiam cultumque paulò uberius nunc tractare constitui, ita quidem, ut totum hoc negotium in DUO SUMMA CAPITA discescam, quorum alterum PROMISSAM, alterum RASAM BARBAM exponet. Utrumque verò iterum in sua certa LEMMATA subdividam. DEUS benedicat!

CAPUT I.

De

BARBA PROMISSA.

LEMMA I.

Barbæ origo exploratur & causæ: ex ejus colore divinatio.

UT autem ab ovo, quod ajunt, materiam hanc incipiam, ordo naturæ de essentiâ Barbæ & ortu nonnulla præmittere jubet. † Oritur ergò Barba (sicuti reliqui quoque in corpore humano pili) ex crassiori quâdam & fuliginosâ

A 2

humo-

(a) de Asin. aureo. Lib. 2. (b) Metam. 13. v. 347. (c) ibid.

humorum illuvie (d), quæ à calore per angustos membranæ meatûs foras propulsa, dum hæret in transitu, condensatur. Causa enim efficiens omninò est caliditas, siquidem illa non solùm cutem in mento rarefacit, verùm etiam poros aperit & materiam protrudit. Quamobrem quoque cholericis, quoniam calore nimis abundant, præ aliis citiùs barbam emittunt. † Quemadmodum verò pro diversitate graduum caloris fuligines modò in crassiores, modò in subtiliores mutantur capillos, prout nimirùm pori vel aperti, vel angusti magis sunt (e): ita quoque pro varietate eorundem crines varium nanciscuntur colorem (f). Ex adustis enim humoribus nigricans consurgens vapor eandem in pilis qualitatem exprimit, eosque crispas efficit, dum adstrictis meatibus ægrè eluctantes rectam sibi viam emoliri nequeunt. Sin minus torrescat humor, flavedine vertex tingitur, ex flavæ scilicet bilis impactò cuti excrementò. Si autem pituitæ bilisque fex temperata adurentem moderetur æstus, rubedine imbuatur. Albedo verò frigiditatis est indicium, in quem colorem, frigoris operâ, humor vergit (g).

4 † Solent præterea nonnulli (h) ex diversis his barbarum qualitatibus, morum tradere *τεκμήρια*; ita ut ruffa crispa malignum & iracundum; nigra valdè & dura, durum ac malum; non admodum nigra sed mollis, rectum justitiæque amatorem; subfusca prudentem; iracundum flava & rubea; alba timidum & avarum denotet.

5 † Sed cum versicolor illa pilorum tinctura, juxta Galenum (i), præter humores & fuligines, alias nonnunquam varietatis causas habeat, aerem nempe ambientem, regionem & ætatem: meritò non tam veritatem, quam veri speciem huic *κομπομαντεία* adscribimus. Nulla enim profectò subest ratio solida, ob quam e. g. ruffos statim pro malè feriatis habeamus: imò tantum sæpenumero abest, ut pravus è tali capillo judicandus sit animus, ut potius ille optimi ac fidelissimi hominis sit indicium. † Provocarem hinc ad Christum, cui rubram capillorum colore barbam tribuit Epistola Lentuli Hierosolymitanarum Præsidis, nisi hanc epistolam constaret esse supposititiam (k). Quis Cæsare Friderico Barbarossa fuit religio-

(d) Galen. L. 2. de Temp. cap. 5. (e) Arist. Probl. 1. quæst. 6. (f) Galen. ibid. cap. 14. (g) idem Lib. 2. de Temp. cap. 14. seqq. (h) vid. Sperling. in Phys. Anthropol. Lib. 2. c. 4. quæst. 7. item Neubusius in Theatr. ingen. human. Lib. 1. c. 4. (i) Lib. 2. de Temp. cap. XI. confer Bodinum latius hæc de re differentem. Lib. 5. de Republ. cap. 1. p. 773. (k) Vid. Rob. Coc. Cens. script. vet. p. 2.

Illustrior aut virtute major? Rubra tamen ipsi barba fuit, quæ & cognomen ipsi dedit (l). Taceo nunc Achillem, Agamemnonem (m), Menelaum, Pyrrhum, Augustum (n), aliosque rufos strenuissimos, quorum non nisi præclare res gestas, historiæ commemorant.

LEMMA II.

Origo promissionis adscribitur Adamo. In quânam ætate ille creatus?

PERSPECTÂ sic Barbæ naturâ & origine, ad promissionem ejus pedem nunc proferimus. Erat autem in more positum antiquis, ut vel ob decorem corporis, vel alias ob causas, intonsam semper nutrent barbam. Id quod Hebræi, Ægyptii & Romani, ut alios nunc omittam recensere, fecerunt. † Sed cur moris hujus ultimam antiquitatem non ex ipso repetamus Paradiso? Tali enim barbâ procul dubio in illo innocentiaæ statu primus humani generis autor fuit Adamus. Nam quis dicat ipsum pilos detondisse, cum ferramenta tunc temporis nondum fuerint reperta & usurpata, sed longè demum post (o)? Pumice verò, uti Sandanapalus (p), aut carbone candente ut Alexander Pheræus (q), & Imperator Commodus (r), genas suas lævigasse, nemini non absurdum videbitur. Promisit ergo barbam, illamque nullâ ratione resecauit. † Sed unde tam celeriter vix procreato barba crevit? Quæstioni locus esset, si, quales nos è visceribus maternis edimur, tenello atque imbecilli corpore, membris invalidis, humili staturâ, talem quoque Adamum Omnipotentis dextera formâset è glebâ terræ. Jam cum sciamus, eodem quò conditus fuit die, talem fuisse, ut jungi matrimonio posset: causæ nihil est, cur eorum quicquam defuisse ipsi dicamus, quæ perfectissimâ ætate viri possident. † Atque huc refero Augustini (s) aliorumque sententiam, existimantium, Protoplastum in optimo sæ ætatis flore, virili nempe, fuisse figuratum.

LEMMA III.

DEUS præcepit alere sacerdotibus. Cur? Conducit Principi. Apud Francos fuit Regale. Diis adpicta. Cynici barbigeri,

A 3;

AB

(l) de quo & infr. cap. 2, Lemm. 5. (m) vid. Homerus. (n) Svet. in vit. ejus. cap. 79. (o) Genes. cap. 4. v. 22. (p) Ctesias Lib. 3. Rer. Pers. (q) Cic. Lib. 5. Tuscul. quæst. 8. Lib. 11. offic. (r) Lampridius in vita ejus. (s) de Gen. ad lit. Lib. 6. cap. 13.

11 **A** B Adamo nunc ad posteros ejus progredimur. De Aaronis (t)
 & Davidis (u) barbâ ipsius Spiritus S. testimonium habemus.
 De Moysè verò sacræ quidem literæ nil referunt, dubitandi tamen,
12 quin barbatus ille fuerit, nulla apparet causa. Omitto vetusta quæ-
 dam numismata, quæ barbatum illum exhibent. † Sed quid mul-
 tis? Ipse Deus Prophetis ac Sacerdotibus suis in mandatis dederat,
 (x) ut nullâ tonsi novaculâ, barbam liberè demitterent: tum ut eam
 intuentes ne perpetrarent quidpiam, quod ipsos dedeceret; tum
 etiam ut eò faciliùs dicto illis esset audiens populus. Est enim in
13 barbâ gravitatis quædam tacita confessio. Solent autem homines
 etiam talibus externis flecti ad officium. † Hinc svadent quoque
 Politici (y), ut Magistratus aut Princeps externam faciei formam
 inter curas non minimas habeat. Id quod non ignoravit olim Ca-
 ligula, qui eam in rem quotidiè ad speculum in omnem terrorem
 ac formidinem vultum componebat (z). Et intellexit idem probè
 Augustus, qui tantâ oris & formæ fuisse fertur gravitate, ut vel so-
 lo aspectu Aetiæcas legiones aliquando terruerit (a). Nec absimi-
 les fuere Senatores Romani (b), qui pexis suis ac delibutis barbis
 grandioribus, tantum Senonibus Romam expugnantibus injece-
 runt timorem, ut non tam eum hominibus quàm numinibus sibi
14 rem esse tremebundi crediderint. † Maximam quoque hâc in re
 quæsiiverunt laudem Franci, itaque Barbam inter Principum re-
 servata numerantes, nemini plebejorum eam promittere conce-
 sere (c): ut hõc ipsõ Reges singulare quid habentes, plus sibi apud
15 populum majestatis acquirerent. † Et certè non alia prisceos com-
 movit ratio, cum Diis suis insignes adpingi curaverunt barbas,
 quàm ut eò venerabiliores illos hõc modò repræsentarent plebi.
 Æsculapio legimus apud Valerium (d), auream barbam à Diony-
 sio fuisse detonsam. Quò alludens Persius (e) inquit:

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam

Jupiter?

Et apparet simul hinc, cur passim Apollo intonsus, labris genisque
 pilosus Mercurius, nigricomus Neptunus, Pan hirsutus, Lucia-
16 no (f) audiat. † Etiam priscei Græcorum Philosophi magnam exi-
 stima-

(t) Psalm. 133. v. 2. (u) 1. Samuel. cap. 21. v. 13. (x) Levit. 21. v. 2. (y) Box-
 horn, in Inst. Polit. Lib. 1. c. 4. p. m. 45. (z) Svet. in vit. ejus cap. 50. (a) Tacit-
 us Lib. 1. Annal. c. 42. (b) Florus Lib. 1. c. 13. §. 10. (c) Hotomannus de Jure
 Regal. capillit. (d) Lib. 1. c. 1. n. 3. (e) Satyr. 2. v. 28. (f) in libello de Deâ
 Syriâ.

firmationis suæ partem in proluxâ barbâ reposuere (g). Sed eadem res tandem, cum ad superstitionem usque barbas ipsi suas co-
lerent, sordidatumq; vivendi genus sectarentur, populari ludibrio
ipso & contemptui exposuit. † Et vero idem ille Antisthenes, qui 17
Cynicam sectam primus instituit, demittendæ quoque barbæ (pu-
ta supra modum alias consuetum) primus autor perhibetur. De
quo Suidæ (h) sunt hæc verba: Ἀντισθένης Πάσι πρῶτον πώγωνα
καθεῖναι, καὶ βακτεῖω, καὶ τῆρα χησοῦσθαι. † Cynicæ autem sectæ 18
vita quæ fuerit, è Martiali (i) cognoscere libet. Sic autem ille de
Cynico:

Hunc quem sæpè vides inter penetralia nostræ

Pallados, & templi lumina, Cosme, novi.

Cum baculo perag; senem, cui cana putrisq;

Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,

Cui dat latratos obvia turba cibos:

Esse putas Cynicum deceptus imagine falsâ.

Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

† In illâ porro mendicitate factum hominum hæc è Gellio (k) prom- 19
ta depingent: Ad Herodem Atticum adiit palliatus quispiam & crini-
tus, barbâq; propè ad pubem usque porrectâ, ac petit as sibi dari. Tum He-
rodes interrogat, quisnam esset? Atque ille vultu sonituq; vocis objurgatorio
Philosophum se esse dicit, & mirari quoque addit, cur quærendum putasset,
quod videret? Paulò post: Interibi aliquot ex iis, qui cum Herode erant,
erraticum esse hominem dicere & nulli rei, incolamq; esse sordentium ganea-
rum, ac, nisi accipiat quod petit, convicio turpi solitum incessere. Rectis-
simè verò illi respondet Herodes: Video barbam & pallium; Philoso-
phum non video. † Tales quoque affirmat Cicero (l) barba tenuis & 20
pallio fuisse Philosophos, doctrinâ autem & eruditione nihil minus.
Quapropter cum ignari plerumque invenirentur ac stolidi, eve-
nit, ut despectul postea haberentur, adeò, ut quoties prodirent in
publicum, ab unoquoque sannâ exciperentur. Et quoniam ἀπά-
θειαν publicè profitebantur, ubique ab obviis, quo specimen suæ
virtutis darent, irritabantur; alius vestem trahebat, alius barbam
vellicabat, alius denique alio modo molestus erat (m). Ita enim
de Diogene inquit Persius (n):

Si Cy-

(g) Vid. Horn. Lib. 7. hist. Philos. c. 13. (h) in καθεῖναι. (i) Lib. 4. Epigr. 53.
(k) Noct. Attic. Lib. 9. cap. 2. (l) Lib. 1. de Nat. Deor. (m) Casaubon, ad Pers.
Sat. 1. v. 133. (n) d. 1.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

Nec aliud sanè quid expertus est Orator Epicrates. Hunc enim Athenienses Σακεσφόρον vocarunt, quòd clypei locò prolixam gereret barbam, pusillus aliòqu in homuncio (o). † Adeò derisa semper fuit illorum superstitio, qui neminem, nisi qui ingenti pilorum copiâ pallium peramq; obumbraret, pro sapiente habuerint, non aliter, ac si Sapientia è Barbis, ceu ex Jovis cerebro Minerva, oriretur. Multa passim leguntur in hanc sententiam. Festivum est illud Palladæ (p):

Εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖ σοφίαν ἐπιποιεῖν,
καὶ τρεῖς ἑυπώγων εὐσολός ἐστι πλάτων.
h. e. interprete Thomâ Moro.

*Si promissa facit sapientem barba: quid obstat
Barbatus possit quin eaper esse Plato?*

LEMMA IV.

Milites aluisse barbas. Fæminis quoque adaptasse. Cornua è cymbibus. Alexander M. cur bicornis? Pygmæis barbæ vicem præstant vestimenti.

22 **J**AM quemadmodum barba, si justâ proportionè nutriatur, insignem homini gratiam ac pulchritudinem conciliat: sic econtra-
rio, ubi debitum modum excefferit, horrendam formidinem ac deformitatem affert. Itaque Parmenio Dux Alexandri fortissimus, ita hirsutis Bactrianorum Scytharumq; faciebus fuit commotus, ut nocte potius quàm interdiu cum ipsis configendum svaderet (q); veritus scil. ne terribili illorum occursum milites perterrefacti
23 terga fortè verterent. † Et Britanni præter intonsos crines, hirtaq; ora, vitro etiam (r), quod cœruleum colorem inducit, corpora inficiebant, ut eò crudeliores apparerent in pugna. † Quamquam
24 ea res interdum cœruit eventu. Sanè refert è Scotorum Annalibus Gentianus Hervetus (s), Anglos aliquando maximâ, quâ ad quingenta eorum millia, ceciderunt, pugna à Scotis superatos, quòd à rasis barbati victi essent, à Scotis Scoticè quidem, sed in hanc terastichè sententiam fuisse delusos:

*Quid juvat, ô stulti, tantam promittere barbam?
Plurima promittens quæ nihil ipsa facit.*

Cedibus

(o) Junius de Coma, cap. 2. & Suidas in Ἰπικροῦτος. (p) Lib. II. Antholog. Græc. Epigr. cap. 52. (q) Curtius Lib. 4. c. 13. §. 5. (r) Jul. Cæsar de Bell. Gallic. Lib. 5. p. m. 171. (s) Oration. p. 19. 20.

Cadibus ex vestris non fidere discite barbæ,

Non fortes animos pendula barba facit.

† Cæterùm Longobardos (t) quoque referunt historiæ, hircinârûm 25
adeò curiosos fuisse, ut resolverent quoque uxorum suarum co-
mam, & fluxam adaptarent earum genis, quo traditis armis ludi-
ficarent hostem. † Cui affine est, quod de Arabibus & Indis scribit 26
Camerarius peregrinatorum fide (u), solere illos hodiênûm, or-
natis primò ac benè dispositis barbæ, cornua deindè & cîncinnos ex
proprio capillo neçtere, atq; sic bicornes in prællum prorumpere.
Qui mos nescio annon ab Alexandro M. quoq; olim fuerit usarpa-
tus. † Equidem quod ab Arabibus bicornis audiit, inde factum 27
sensent viri eruditi (x), quia venditabat se pro Jovis Ammonis fi-
lio (y), utpote qui arietino capite cum cornibus fuisse dicitur (z).
Atque huc etiam referunt vetera quædam Alexandri M. numis-
mata, quibus hunc suum patrem figurâ quâdam imitatur. Verùm
nec illud opinor, absolum fuerit, suspicari, bicornem eum inter-
dum, capillis in hanc faciem compositis, spectari publicè voluisse,
ut illam de stirpe Ammonis crudelitatem utcunqve nutriret. Ve-
rùm hæc tantùm esto conjectura. † Redeo ad barbæ nostras. In 28
expeditionibus adversus Turcam in Ungariâ miles quidam bar-
bâ fuisse narratur adeò proluxâ, ut eâ se præcingere contolutâ pos-
set, disjectâ verò obtegere. Cujus quidem ipse tam fuit amans, ut
cum Præfectus totam legionem radi juberet, vitam pro barbâ of-
ferret: atque is solus barbæ gratiam nactus est (a). † Tales barbige- 29
ri fuerunt quoque olim, sed fide Cresiæ (b), Pygmæi Indici, qui ex-
ortâ semel barbâ, nullò amplius in posterum utuntur vestitu, sed
capillos à tergo multo infra tibias demittunt, barbæ verò antè ad
pedes usque protrahentes, totò sic corpore pilosi, semetipsos cin-
gunt, & vestimenti loco adhibent.

LEMMA V.

Barba præco periculi. Luctus signum promissio ejus. Barba votiva.

*Supplices demiserunt. Item apud Romanos rei. Cum his & ami-
ci incedebant sordidati. Cur hic ritus abrogatus?*

B

De

(t) Hotomannus Dialog. de Barba, è Paul. Diacono. (u) Oper. succis. cent.
1. c. 93. (x) Wernerus in Corpuse. Philol. cap. 1. & Blancardus in Not. ad
Curt. Lib. 3. c. 1. n. 1. (y) vid. Justinus Lib. 11. cap. 11. (z) Camerat. in op.
succis. cent. 1. c. 93. (a) Tob. Magis. Polymnem. (b) In hist. Indic.

30 **D**E militari barbâ satis. Ad barbam venio, quæ luctus est indi-
 cium. Non eam volo, quæ lugendi tempus iustare quasi prædi-
 cit, sed quæ luctum ipsum demonstrat præsentem; non eam, quæ
 naturæ quoddam prodigium est, sed quæ ad humanæ voluntatis im-
 31 perium excrescit. † Aliàs insolens non est, Deum pilis ac Barbis pro-
 iræ atq; vindictæ suæ auguriis uti, eosq;ve tanquam prodromos im-
 minentis mali præmittere. Nam quid quæso Barba, quam ætate
 Constantini M. Anno 308. puer recens natus Antiochiæ in mun-
 dum attulit (c), aliud urbi isti portendit, quàm ingentes imperii
 mutationes & bella subsequuta domestica? Nec melioris ominis Al-
 fatiæ fuit uva, quæ Ann. 1542. rubicundâ ibidem propullulavit bar-
 bâ, quàm ut esset nuncia gravissimæ Dei pœnæ. Quod si Ethnico-
 rum huc afferre liceret testimonia, quid Amphictyonum exemplo
 esset clariùs? Illis enim, ut ait Herodotus (d), cum aliquid aduersi
 eventurum foret, Minervæ Antistiti grandis barba adnascebatur:
 32 Id quod bis apud eos accidit. † Sed de his, inquam, barbibus nunc
 non loquor. De illis loquor, quas lugentes in omnem prolixita-
 tem sinebant crescere: Id quod multis solenne populis fuit. He-
 bræi enim quoties cum adversâ conflictabantur fortunâ, præter
 faccos ac cineres barbâs etiâ prolixas habebant sui mœroris indi-
 cium. Sic Mephibosethen legimus in sacris (e), quamdiu Regem
 suum Davidem sensit tristem, barbâ fuisse intonsâ. Et solent hodie-
 num Judæi morem istum in cognatorum morte observare: Si qui-
 33 dem illi intra triginta dies, nec lavantur, nec tondentur (f). Par-
 consuetudo fuit Romanorum, qui quasi levamen quoddam in squa-
 lore corporis quærentes comam planè promittebant. Cajum cer-
 tē Caligulam refert Syetonius (g) auditâ Drusillæ filiæ morte, præ-
 nimio dolore barbâ capillumq;ve nutritisse. Curius quoq; ob-
 latam Præturæ repulsam, incomptis, ut ait Horatius (h), capillis
 perpetuò mansit (i). Similiter Terentius Varro, post cladem Can-
 nensem reliquo suæ ætatis tempore mento pariter ac capite hirsu-
 34 tus fuit, nec unquam postea cibum recubans cepit (k). † Nec incon-
 veniens hoc loco Catonis Uticensis exemplum est, utpote quem
 scribunt, ex eâ die, quâ, Cæsarem audiens cum exercitu appropin-
 quare, urbem reliquit, neq;ve barbâ totondisse, neq; coronâ sum-
 fuisse

(c) Aldrovandus in hist. monstros. p. 446. (d) Lib. 8. p. m. 632. (e) 2. Sam. cap. 19. v. 24. (f) Max. Rever. Dn. D. Geierus de Luct. Hebr. c. 8. §. 2. p. 197. (g) in vita ejus cap. 24. (h) Lib. 1. Carm. Od. 12. (i) vid. Aero in Not. ad Ho- rat., c. (k) Magir, Polyma. fol. 349, 350.

fisse ob calamitatem patriæ, sed unum ad extremum usque fecti-
nuisse habitum (l): uti id eleganter admodum his versiculis expres-
sit Lucanus (m):

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore

Cæsariem, duroq; admisit gaudia vultu,

(Ut primum tolli feralia videvat arma,

Intonsos rigidam in frontem descendere cano.

Pasus erat, mæstamq; genis increfcere barbam,

Uni quippe vacat studiis, odiisq; carenti

Humanum lugere genus) nec fœdera prisce

Sunt tentata tori.

† Atque huc etiam referendum est, quod Livius (n) scribit, conje- 35
ctò in carcerem Manlio Capitolino, magnam partem plebis ve-
stem mutasse, multos mortales capillum & barbam promississe, ob-
servatamque vestibulo carceris mæstam turbam. † Nec secus Julius 36
Cæsar. Is acceptâ clade Titurlanâ, tantâ consternatione animi fu-
isse traditur, ut barbam capillumq; sumserit, quàm vindicasset (o).
Cui non absimiles fuere olim Catti, qui, teste Tacito (p), barbam
submiserunt, nec antè votivum obligatumq; virtuti oris habitum
exuerunt, quàm ulti fuerint injuriam. Quos postea secuti sunt Sa-
xones nostri, quorum sex millia, quibus fortuna in Svevico peper-
cerat prælio, colerant, devoventes, se nec barbas nec crines un-
quam incisuros, nisi Svevis retulissent paria. Cui etiam voto even-
tus respondit felicissimus (q). † Sed hanc sanè votivam barbam 37
non peccabit opinor, qui certo modo ab illâ lugente distingvet.
Lugens enim barba magis erat signum doloris, & ad alios; votiva
verò, gerentibus ipsis inserviebat, pro monumento quasi cladis ac-
ceptæ & ultionis incitamento. † Probè siquidem Intelligebant Vete- 38
res, hominum animos non magis ad vindictam posse concitari,
quàm si nonnullas expertæ calamitatis notulas quotidiè ante ocu-
los cernerent. † De cætero lugentibus barbæ accenseri merentur 39
illæ olim supplicantium, cum ab aliis auxilia petitori formâ appa-
rebant sordidissimâ, ut nimirum eò melius misera ipsorum condi-
tio æstimaretur, aliqve ad sui commiserationem invitarentur. Sic
Alexandrinorum Legatos testatur Livius (r), sordidâ veste, capillo

B 2

barbâ-

(l) idem l. c. à Plutarchi Caton. Min. p. 785. (m) 2. Pharsal. vers. 372. (n)
Decad. 1. Lib. 6. cap. 16. (o) Sveton. in Vit. ejus cap. 67. (p) de morib. Germ.
cap. 31. (q) paul. Diacon. Lib. 3. de gestis Longob. cap. 7. (r) Decad. 5. Lib.
4. cap. 94.

barbâq; promissis, nec non ramis oleæ ingressos fuisse curiam Ro-
 manam, ibiq;ve procumbentes lacrymis opem exorasse. Tali quo-
 que habitu Catinenses aliquando Lacedæmonios adversus Syra-
 40 eusanos implorasse feruntur (s). † Et certè nihil aliud olim grandes
 istæ Reorum apud Romanos denotabant barbæ, quàm ut essent in-
 dices infelicissimi statûs, in quò versarentur rei. † Ferebat quip-
 pe ita consuetudo illius populi, ut reus postulatus civis Romanus;
 non in carcerem conjiceretur; sed suo arbitrio permissus liberè
 obambulet; ut, si pœnam Legum evitare vellet, abiret in exi-
 lium; Intereà verò temporis, dum decisiva ferretur sententia, ab
 omni corporis munditie & cultu solebat abstinere, comam & bar-
 bam undiq;ve promittere, nec non vilissimas vestes induere (t).
 41 † Incedebant autem in ejusmodi squalido habitu non soli Rei, sed
 ipsorum insuper amici ac necessarii eos similiter sordidati comita-
 bantur; ad captandam nempe eò magis à Quiritibus interces-
 sionem & gratiam. Hinc gloriatur de se Cicero alicubi: Omnes in
 suo meatu Senatores lugubrem sumpsisse vestitum, quod tamen ne-
 42 in propriis quidem periculis facere consueverint. † Circumibant
 ergò hi quotidiè in civitate, & quo diutiùs erant in reatu, eò quo-
 que mitiorem deindè sustinebant pœnam (u).

LEMMA VI.

*Fœminæ quædam barbatae. Etiam vetulae. Unde? Aliis barbæ artifi-
 cio quæstæ. Venus barbata.*

43 **D**E barbatis Viris fusè hæctenus. An & de fœminis barbatis
 aliquid addemus? Sunt hæc quidem tales prodigia quædam
 naturæ: Sed vel ob hoc ipsum, cum se præbeat occasio, afferen-
 44 dæ in locum præsentem. † Quamquam igitur ille sexus caloris na-
 turalis, si cum virili comparetur, haut parvo defectu laboret; quam
 ob causam & barbam illi denegasse natura videtur (x); tamen na-
 turæ quodam miraculo inventæ sunt nonnullæ fœminæ, quæ in illo
 ætatis viridi vere pilos in mento emitterent. Enim verò cum fortè
 calida illa & humida complexio, quæ in Viris barbam efficit, in
 muliere ultra modum debitum exuperat, fieri potest, ut lanugo
 45 quædam exindè progerneretur. † Sed quid de vetulis illis respon-
 debimus,

(s) Justin. Lib. 4. c. 4. (t) Phil. Caroli in Animadv. ad Gell. Lib. 3. cap. 4.
 Cujus vel calamus hîc festinavit, vel aberravit memoria, cum scriberet, reo-
 rum fuisse, BARBAM RADERE; imò inquam, non radere. Neque aliud quid
 insinuat ibi, quem exponit, Gellius. Adde etiam sis L. 2. §. 16, ff. de orig. Jur.
 (u) vid. Leg. 25, ff. de Pœnis. (x) Aristot. Probl. 1. quæst. 9.

debimus, quibus videlicet tum demum, ubi ad grandævam ætatem vivendo pervenere, silvescere mentum incipit? Ad caloris enim abundantiam confugere hic non licebit, cum is minui potius senescentibus soleat. Respondebimus ergo cum Hippocrate (y): menses tunc temporis in iis solere subsistere, ac proinde ex viliori illo sanguine, qui per menstrualem fluxum debeat separari, crines in facie oriri. † Ut autem juniorum exempla nunc proferamus: 46
 Autor est Tobias Magirus (z), Anno 1605, in Transsylvania virginem quandam prægrandi barbâ fuisse conspectam. Affirmat etiam Zacutus (a), vidisse aliquandò se trium annorum puellam insigniter barbatam, totoque corpore hirsutam, è cuius auribus prodierint pili crassi, numerosi, & sesquipedalem longi. Plura mulierum barbarum exempla dabit Gasp. Schottus (b), Qui & S. Liberatam, quæ alioqui Wilgefertis nominatur, & inscripta martyrologiis ad diem 20. Julii reperitur, memorat, cui divino potius, quam naturæ miraculo larga barba eruperit. Fertur ea Lusitanæ Regis filia, parente incio, Christiana fuisse: cumque Pater ethnicus conjugem mortuam spretis naturæ legibus, de filiâ sibi copulandâ (nec enim in toto regno parulla ipsi erat pulchritudine,) cogitaret, rogavisse DEUM, ut, quod Patri maximè esset illecebrosum, in se mutaret, formamque sceleris illicem deventuraret: ita mentum ejus à DEO exaudita hispidâ admodum & prolixâ barbâ contextum undique fuisse. Sed hæc eximenda videtur è censu reliquarum. Quamquam enim illis etiam naturæ prodigiis divina intervenit potentia: tamen alia ratio hinc deprehenditur. Vocabimus ergo Liberatam quidem, (nisi fortè claustralibus ea fabulis annumeranda venit,) miraculum divinum; Transylvaniam illam & similes, monstra naturæ. † Quid autem 477
 de illis judicabimus fœminis, quæ denegatas sibi à naturâ barbas arte procurant, h. e. quæ diutino radendi oris usu cogunt pilos excrecere? Dignæ profectò & hæ sunt, quæ inter monstra computentur. Non Physica tamen eas, sed ethica dicemus monstra. Id enim agunt, ut sub ementito virilis oris honore fallant. † Atque 48
 de his capimus illud Hadr: Junii (c), cum barbata fœminæ occursum non immeritò Italis haberi ominosum ait, unde joculari

B 3

gentis

(y) Lib. 6 popular. sect. 8. sub fin. cui junge sis Aristot. in Lib. 3. hist. animal. cap. 11. (z) in Polymnem. fol. 348. (a) Lib. 3. prax. observ. 91. (b) Lib. 3. Phys. curios. 6. 32, p. 482. 483. (c) de Coma cap. 2.

gentis ejus dicitur barbatam eminens esse salutandam præcipitur.
 Sanè enim de foeminis ibi agit, quæ barbam sibi provocant raden-
 49 do. † Verùm in eo fallitur vir doctus, quod ad has etiam trahit
 Legem XII. Tabb. à Cicerone (d), & Plinio (e) repetitam:
 MULIERES GENAS NE RADUNTO. Rectissime enim ob-
 servatum à Kirchmanno (f), radere hinc non idem esse, quod for-
 ficulâ refecare, sed genas ungvibus lacerare, quod à foeminis olim
 50 fiebat, suos mortuos in modicè lugentibus. † Non æque promittum
 nobis illud, quo censu haberi mereantur Georgianorum foeminae,
 quas habere barbam ut viros, ait Danaus (g). Incolunt Georgiani
 Mediam & Persiam, & Caspium mare (h). An ergò dicemus, re-
 gionis hanc esse naturam, ut utrumq; sexum æquè barbatum pro-
 creet? An vim illam non naturæ dicemus esse, sed artis atque con-
 51 suetudinis? † Nam huic non multum dissimile illud est, quod de iis-
 dem Georgianis refert Prateolus (i), illustriores illorum mulieres
 Amazonum instar armis in præliis uti. An factum ipsum vocabi-
 52 mus in dubium, fortasse a Prateolo alioqui non reticendum? † Duo-
 bus monstrorum generibus physico & ethico tertium nunc adda-
 mus, idque poëticum seu mythicum Cyprî fuisse, veste quidem
 muliebri, sed sceptro & staturâ Viri, nempe quod putent eandem
 & virum & foeminam esse, discimus è Macrobio (k).

CAPUT II.

De

BARBA RASA.

LEMMA I.

Tonsura apud diversas gentes origo. Signum subjectionis & servitutis.

Captivi rasi, imò & liberati à captivitate, & manumittendi.

53 **P**erlustratâ nunc promissione barbæ, ad rasuram nos accingi-
 mus. Capillos capitis detondere Græcis in usu antiquissimo. At
 barbas ponere, non adèò vulgatum. Quippè Alexander Macedo
 persico luxu fractus enervatusque asperitatem patriam & frugali-
 54 tatem exuens barbam radere primus instituit (l). † In Italiam
 Tonsores primùm ex Sciliâ venisse dicuntur post Romam condi-
 tam

(d) II. de Legibus. (e) Lib. XI, cap. 37. (f) Lib. II, de funer. Rom. cap. 11.
 p. 196. (g) cap. 97. de hæresibus. p. 593. (h) Danaus d. l. (i) Elench. Hæres.
 p. III, § 23. (k) Lib. 3. Saturn. c. 8. vid. & L. D. Greg. Gyrard. Syntagm. 13. hist.
 Decor. f. 379. & Gibb. cognat. Sylv. Narrat. Lib. 4. p. 339. 340. (l) Dempst. ad
 Rosin. Lib. 10. c. 29. p. 1709.

tam Anno 454. eosque adduxisse ajunt P. Ticinium Menam.
 Nam olim tonsores non fuisse, ad significant antiquorum statuae,
 quod plerumque habent capillum & barbam magnam. Autor Var-
 ro (m). Addit Plinius (n), primum omnium fuisse Africanum, qui
 radi quotidiè institueret. Quem sequens Augustus cultris semper
 usus est. Othonè autem Sylvium Svetonius (o) refert, faciem quo-
 tidie rasitare ac pane madidò linere consuetum: idque instituisse
 à primâ lanugine, ne barbatus unquam esset. † Fuit autem animad- 55
 versum, ante Hadrianum Cæsarem Imperatores barbam sæpè rasi-
 tasse. Ipse enim ex Imperatoribus primus promissâ barbâ incescit
 & capillo (p). † Apud Batavos rasura videtur incepisse sub Impe- 56
 rio potissimum Theodorici III. Comitæ Hollandiæ & Zelandiæ
 circa annum circiter 1100. † In Germaniam verò nostram tonso- 57
 res tandem venerunt Philippi Boni Burgundiæ Ducis tempore,
 circa annum 1460. ut multi existimant (q). E Crantzio tamen forte 58
 dubites, annon annus potius 1481. memorari hîc debeat. Dum
 enim hujus anni gesta exequitur, hæc inserit (r): *Quo tempore (pu-
 ta cum implicitus hosti Turco Matthias esset Ungariæ Rex) apud
 Principes nostrarum partium cæpit haberi solenne, capillos truncare sibi su-
 isq. Misere invicem sibi literas inclusis forpicibus cum mandatis. Ita lu-
 dunt nostri, dum res serias pro omnibus tractant, qui colluctantur infensissi-
 mo Christianis Turco hosti. Ea dum res agebatur de capillis seridè tutandis. Sed
 sive vigilantibus per vim & jocum, sive dormitantibus utcunque truncare
 studuerunt, militaribus viris ineptum arbitrati, si, ut puellæ, comas ornent.*
 Admirari autem hîc licet sive temporum vices, sive populorum.
 † Fuit enim, cum rasum incedere vel tonsum notula *subjectionis* ha- 59
 beretur aut *servitutis*. Apud Lacedæmonios, ut esset discrimen
 aliquod inter Magistratus & promiscuū vulgus, tum etiã ut plebs
 in minimis morigera imperio affvesceret, Ephori magistratum in-
 euntes præcipere solebant, ut mentum tonderent (s). Nec alia
 certè Francorum (t) fuit intentio, dum nimirum nemini præter-
 quam solis Regibus Jus capillitii permiserunt, quam ut subdito-
 rum ista calvities subjectionis esset symbolum. Apud Longobar-
 dos autem detondebantur capilli in signum servitutis; pilum bar-
 bamque

(m) Lib. 2. de re rust. cap. ult. Vide & Polyd. Verg. Lib. 3. de Inv. rer. c. 18.
 sub fin. Dempst. paralip. ad Ros. Lib. 10. c. 29. p. 1706 (n) Lib. 7. c. 59. (o) in
 eo c. 12. (p) Alex. ab Alex. Lib. 5. gen. dier. c. 18. p. 290. (q) Rango de Capel-
 liment. cap. 3. n. 7. (r) Lib. 13. Wandal. c. 23.

bamque deponere deditiois cuiusdam signum erat (u). Græcis quoque veteribus mens eadem. Horum certe mancipia rafa fuisse testatur hoc Aristophanis (x): *ἔπειτα δῆτα δῶλ' ὧν κόμην ἔχεις;*
 60 i. e. *Quo jure nutris servus existens comam?* † Apud Romanos viliores servorum alterâ parte capitis capillati erant, alterâ nudi per ignominiam, perque risum. Præcipue verò ii semirasi, qui ad ergastulum damnati, aut etiam in publicum opus (y). Itaque Apulejo plurinarii sunt *capillum semirasi* (z). † In signum quoque servitutis Duces bello capti tondebantur (a). Et Sicularum captivos tonsis erinibus in triumpho fuisse refert Plutarchus (b). Quare sunt, qui hoc è ritu captivos tondendi exponunt illud Esaiæ (c): *In die illâ radet dominus in novacula conductâ in his, qui trans flumen sunt, in Rege Assyriorum caput, & pilos pedum & barbam universam* (d), ut videlicet eâ in phrasi metonymiam habeamus signi pro signato, & è tonsione intelligamus servitutem, in quam à Chaldæis redigendi essent
 62 Hebræi. † Sed hi minus aptè provocabunt hic ad eam consuetudinem, quâ solebant apud Romanos captivitate liberati cives currum triumphantis sequi raso capite (e). Ista enim Liberatorum rasura
 63 non servitutis erat signum, sed præludium libertatis. † Quod si maxime calviciem hanc argumentum esse patiamur servitutis, non præsentem ea tamen signabit, ut illa hostium captivorum, sed præteritam, ut ea, quâ manumittendi rasis capitibus accipiebant pileum. Quæ duo neutiquam velim confundi. Scitè Nonius Marcellus (f): *Qui liberi fiebant, inquit, eâ causâ calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.*

LEMMA II.

*Tonsura ignominie nota. Barbarum turbatores acerbe puniebantur.
 Facinorosi barbâ plectebantur.*

64 **E**X eo, quod diximus, tonsuram servitutis fuisse notam, facile nunc erit causam reddere, cur liberis hominibus admodum igno-

(s) Plutarch. in Agide, citante Magiro Polymn. f. 354. (t) Hotoman. de Jure Regal. capillit. vid. & Dempst. ad Rosin. p. 1704. (u) Magir. l. c. è Paulo Emilio. (x) in avib. citant. Junio e. 2. de comâ. (y) Lips. Lib. II. elect. c. 15. p. 728. Turneb. Lib. 24. Advers. c. 9. (z) Lib. 9. Metamorph. p. 222. edit. Elmenhorst. (a) Dempst. ad Rosin. L. 10. c. 29. p. 1704. (b) cit. Camerar. op. succ. cent. 1. c. 36. p. 153. (c) cap. 7. v. 20. (d) Christoph. de Castro ap. Finck. quæst. illustr. 54. p. 307. & Corn. à Lap. apud Ursin. Vol. 2. fact. anal. Lib. 6. n. 6. p. 354. Qui quidem à Cornelio dissentit, magisque ex allegoriâ textum exponit, ut per rasuram pilorum à barba significetur opulentia majestatisque amissio. Atque hæc expositio nobis quoque se magis probat,

ignominiosa res habita fuerit (liceat vocabulum fingere) barbici-
dium. † Hoc enim ingenuo homini intentare, erat illi quasi notam 67
civilem inurere. Quare David Rex tonsuram hujusmodi, ab
Hannone Ammonitarum Rege Legatis suis factam, adeò ægré
tulit, ut non dubitaverit ea propter bellum ipsi inferre, eamque
injuriam in Legatis sibi illatam graviter ulcisci (g). † Et verò gen- 66
tis non unius placitis cavetur, ne quis alterum barbâ privet, pœnis
etiam in eos, qui delinquerent, constitutis. In Alemanorum legi-
bus, quæ temporibus Clotarii Regis sancitæ sunt, ita statuitur: *Si*
quis alicui contra legem tonderit caput liberum non volenti, cum XII. solidis
componat. Si autem barbam alterius tonderit nolentis, cum sex solidis
componat (h). Et in Constitutione Friderici de pace tenendâ, & ejus
violatoribus, ita legitur: *Si quis aliquem cœperit, & absque sanguinis*
effusione fustibus percusserit, vel crines ejus aut barbam expilaverit, decem
libras ei, cui injuria illata esse videtur, per compositionem impendat, & ju-
dici viginti libras persolvat (i). Porro quoque Feudali Jure prodium
legimus, non pro levi, imò majori injuriâ æstimandum esse, si quis
alteri crines aut barbam expilasset, quàm si pugno vel manu eum
percussisset (k). † Et Baldus docuit, barbam in homine membrum 67
esse, atque ob id incidentem barbam eadem teneri pœnâ, quâ ple-
cti solet, qui membrum alicui abscidit (l). † Nec absurdè dixit è vete- 68
ribus non nemo, tam deforme esse, ornatum barbæ auferre Viris,
quam Leoni vel equis jubar attondere (m). † Atque huc illud eti- 69
am pertinet, quod amittere barbam in pœnis alicubi habitum est:
ut apud Candiotas seu Cretenses suo tempore obtinuisse retulit in
litteras Thevetus (n). † Nec ignotæ sunt veterum Longobardorum 70
Leges, quorum jure sancitum legimus, ut forpice & scopis in da-
mnatos animadvertatur, h. e. ut tonsi virgils cædantur (o). Sed hoc
in furto ferè obtinuit. † Fuerunt & qui hanc pœnam stupris sufficere 71

C

crede-

(e) Fisekiius d. l. p. 316. (f) cap. 12. n. 38. (g) 2 Sam. cap. 10. v. 4. (h) vid.
Camerar. Cent. 1. op. succ. cap. 36. p. 153. (i) Camer. d. l. in præced. (k) vid.
Salmuth. ad Lib. 1. memorab. Panciroll. de fibul. p. 388. (l) Idem ibid. (m) Ca-
merar. loco paulò antè cit. (n) teste Camerar. d. l. (o) Salmuth. ad Panc. d. l.
p. 387. Qui quidem minùs benè forcipis hic utitur vocabulo; forcipem rectiùs
nominavisset cum Camerario d. l. p. 153. quanquam videntur sanè veteres qui-
dam ferrariorum fabrorum instrumentum forcipem confundere cum forpice,
seu, quod hoc etiam sensu Vossio Lib. 1. de Vit. serm. cap. 13. p. 56. magis pla-
ceret, forfice, quo pili tondentur. Nam sic & apud Crantzium forpices legimus
eo loco, quem Lemmate præcedenti correctum à nobis repræsentavimus.

erederent. Apud Græcos enim posteriorum temporum pœna sup-
 pri fuit, securi barbas publicè hujus flagitii convictis præcidi, at-
 que illos ita ut infames dimitti (p). Quo loco illud memorabile,
 quod è Guillelmo Paradino refertur (q): Juvenis ferè imberbis
 ex aulicis Comitis Sabaudie Amadei VI. violenter compresserat
 Constantinopoli virginem nobilem hospitis sui. Huic ergò in pœ-
 nam publicè præcisi sunt à tonsore pili barbæ nascentis, vel potius
 lanuginis erumpentis. Cum ita post atrocem accusationem Patri
 violatæ virginis esset satisfactum: (neque enim is amplius quid
 petierat:) Comiti autem res ludicra videretur, tam atrox crimen,
 quod alioqui capitale esset, tantùm abrasione pilorum velut expia-
 ri: noluit tamen tunc temporis. (cùm nobilem suam propter
 fidem & fortitudinem amaret,) severior lege municipali esse, & in
 illum graviore pœnâ animadvertere. Verùm addit hanc commi-
 nationem: Si is vel alius è suâ familiâ denuò tale quid perpetra-
 ret, se more Sabaudico, cui castitas virginum magis cordi esset, non
 Græcò, delinquentes severè puniturum.

LEMMA III.

*Populi bellicosi tondebantur. Cur? An Alexander Magnus cum suis
 militibus fuerit hunc morem imitatus? Expositum in hanc
 rem ejus apophthegma.*

- 72 **S**ed relictis his infamis notæ rationibus, paulò honestiorem con-
 templabimur: eam puto, quâ populi quidam bellicosi & bar-
 bam sibi & anteriorem capillum abradebant, eum in finem, ut, ubi
 opus esset conficari cum hoste, nec barbâ, nec, quibus dixi, capil-
 73 lis possent ab eò comprehendi. † Equidem in historiâ sacrâ legimus,
 cùm Davidis acies Joabo Duce cum Abneris exercitu conficatura
 esset prælio, placuisse Ducibus, ut profusoriâ quâdam pugnâ duo-
 deni utrinque configerent: Horum unusquisque apprehenso ca-
 pite comparis sui, gladio eum transfixit: quâ ratione cecidère si-
 mul omnes (r). Hoc ergò periculum evitare qui vellent populi, cu-
 74 rabant, ut occipitiò potius essent capillatò, quàm fronte. † Dicis
 75 faciem eis placuisse contrariam illi, quam Occasioni affingunt Poë-
 tæ; siquidem.

Fronte capillatâ est, postica occasio calva.

- 76 † Pilos ergò demebant fronti, ne comprehendi possent ab hoste ad-
 versò,

(p) Camer. d. l. p. 152. (q) ab eod. Camer. cent. II. c. 40. p. 245. (r) 2. Sa-
 muel. c. 2, v. 16.

versò, non demebant occipiti, ut prehendi fugientes possent à ter-
 go. † Atqui hoc ipsum, inqvies, posse à tergo involari periculofum 77
 non minus est atqve noxium. Fateor, sed illi hanc ipsam ob cau-
 sam periculofam sibi efficere fugam volebant, ut fugiendi cupidi-
 tate sublatâ non nisi cum adversis hostibus congregi affvescerent.
 † Ita fuerunt, qui navigiis delati in regionem peregrinam occu- 78
 pandæ ejus animo incendio delerent navigia, ut omni spe rever-
 tendi ademtâ, tantò fortius præliarentur. † Obtinuit autem iste ton- 79
 dendi mos apud Arabes olim, Abantes, Mysios, Curetes, Ætolos
 (s). Etiam apud Lacedæmonios, quam gentem constat olim uni-
 versam Reipubl. suæ formam non aliis artibus, quam bellicis ac-
 commodasse. De his autem hæc relata legimus (r): *Idcirco Lacedæ-*
monii frontes abradi, capillum à tergo dimitti jusserunt, ut longè tutiores in
bello essent (quam in fugâ) adimereturq; hosti facultas in pugnâ capillum
apprehendendi. Nam & barbam etiam eâ de causâ præter Græcorum alio-
rum morem, rasitare consueverunt. Quòd si fugam meditentur, instabat à
tergo vinculum atq; ansa, quò capi possent, atq; ita præ capturæ metu desti-
natori animo consistebant, adversiq; dimicabant. † Putet aliquis, Alexan- 70
 dri quoque Magni milites raris barbis in prælium prodire solitos,
 ne videlicet ipsorum barbis hostes uterentur pro ansis. Sic enim de
 eo Alexander ab Alex. (u): *Barbam militibus rari jussit, ne hostili præ-*
de ansam darent. † Verùm hæc narratio nimium brevis est atq; am- 81
 bigua. Tota res discenda nobis è Plutarcho (x), qui eam his verbis
 exponit: *Omni bus ad pugnam paratis, cum interrogarent Duces: ecquid*
prætereâ mandaret: Nihil, inquit, quàm ut menta Macedonum radantur.
Cumq; miraretur Parmenio: An, ait, ignoras, in pugnâ nullibi facilius virum,
quàm barbâ apprehendi? † Non hoc ergò dicit Plutarchus, id, quod ju- 82
bere se dixit Alexander, ita factû postea fuisse: sed tantum, ita eum, ut
dictam est, respondiisse. Nam ut Hadriani Junii (y), qui sub pu-
gnam in Arbelis (z) hoc contigisse ait, verba nostra faciamus, non
est verisimile aut rasum fuisse exercitum omnem, aut fieri hoc etiâ
potuisse, ut in procinctu jam stanti militi otium fuerit ad præben-
 dum

C 2

(s) Alex. ab Alex. Lib. 5. Gen. Dier. cap. 18. p. 290. Camerar. cent. 1. op. succ.
 c. 36. p. 154. (r) apud Pierium lib. 32. hierogl. c. 36. (u) Lib. 5. Gen. dier. c. 18.
 p. 290. (x) Apophth. Reg. (part. 1. moral. p. 332. 333.) (y) cap. 2. de Com.
 (z) Arbela vicum nobilem clade Darii vocat Curtius Lib. 4. c. 22. Actacent
 quidem hanc loci temporisvè circumstantiam Plutarchus, veruntamen non
 improbable est, quod sic addit Junius. Certè illi ad Arbela pugnae Parmenio-
 nem interfuisse docebit Curtius d. l. c. 32.

- dum tonsoribus mentum: ne dicam nunc, tanto exercitui
 83 impares numero sufficere nequivisse tonsores. Cur ergo, inqvies, imperavit hoc Alexander, quod ipse fieri non posse intelligebat?
 84 Facilis responsio. Aliud dixit, aliud intelligi voluit. † Ac Hadriano quidem Junio (a) videtur Alexander innuere voluisse eo dicto, nihil tum fuisse reliquum, nisi ut militem instructum & paratum pugnae irriter hostis in suum exitium, haut aliter, quam si quis leoni jubam refecare tentet. Erasmus verò (b) censet, significare eum voluisse, cominus esse pugnandum, in quo genere certaminis barbæ officiant, quod his milites facillimè possunt apprehendi. Simplissimè forsan dicetur, jocari Alexandrum voluisse, atque hoc innuere, nihil planè habere se, quod ad apparatus prælii jubeat ultra, nisi, inqvit, necessarium vobis forsan videtur, ut imberbes hosti occurramus, ne fortè barbarum culpâ veniamus in ejus potestatem.

LEMMA IV.

Rasio signum mœstitiæ. Votiva calvities. In luctu animalia etiam vasa. Crines abrasi sepulchris injiciebantur.

- 86 Sicuti nonnullis olim populis (ut supra demonstravimus) solenne fuit, in mœrore barbas & capillos mirum in modum promittere; ita e contrario non pauci penitus in luctu sese lævigabant. Erat quippe hæc in re unicuique ferè populo suum peculiare studium, ita quidem, ut is, qui tempore tranquillitatis crinem detondebat, in afflictione illum aleret: & versâ vice: Qui speciem corporis sui capillos nutriendo in rebus secundis servabat, is ingruente infortunio illos demeret. † Atque hæc Kirchmanni (c) ratio magis probat se nobis, quam illa Joannis Tardini (d), præterea apud quasdam gentes in more fuisse positum, scribentis, ut si quid luctuosum viro contigisset, is non prius lamentaretur quam barbâ deposuisset, quasi indecorum ratus, virum cum virili ornamento lamentis gemituque & scæmineo ululatu muliebres mores imitari,
 87 † Hæc ergo principia Tardini eò ducent, ut statuatur ex opposito, quibus populis placuit intonsam barbam dare luctui, iis lamenta fuisse habita pro re, quæ maximè viros deceret. (Quantò rectius dicetur, gentem quamvis contrariis temporibus contrarium faciei habi-

(a) d. l. (b) Lib. 4. apophth. sub Alex. Magn. n. 10. p. 366. quem sequuntur Lycost. apophth. tit. Barb. p. 112. & Camerar. cent. 1. succ. cap. 36. p. 154. (c) de Funerib. Rom. Lib. 2, cap. 14, p. 217. (d) Disquis. de Pilis, cap. 2, n. 2.

habitum aptavisse. Ideò si qua rebus prosperis barbam aleret, am-
 putavisse adversis; Si qua prosperis amputaret, aluisse adversis. † 89
 Par quædam ratio fuit in votis, ut scilicet gentibus diversis consue-
 tudines placerent contrariæ. Ergò quibusdam votiva barba fuit, ut
 Saxonibus, de quibus dictum supra (e); aliis vicissim votiva cal-
 vities, ut Saracenis, quibus abrasio capitis menti quæ; devotionis fuit
 indicium, quæ sibi diras horribiles imprecabantur, si è prælio nisi
 victores excederent (f). Veniamus ad exempla de luctu. † Apud 90
 Hebræos Esra Sacerdos audito Israelitas in matrimonium duxisse
 Ethnicorum filias, laceravit vestem & pallium, & evulsit de capillis
 capitis barbæ quæ suæ (g). Similiter elucet hoc in Regulis istis, qui,
 teste Svetonio (r), in morte Patris Caligulæ Germanici barbas
 posuerunt uxorum quæ capita rasitarunt. Apud Ægyptios, si vel
 canis in aliquâ domo obiisset, totam statim familiam radi solitam
 scripsit Diodorus Siculus, id quæ totò corpore; undè intelligis, non
 caput ilis modò & genas sed & supercilia rasa fuisse (i). † Nec suf- 91
 fecit semper hominum tonsura, quin & brutæ nonnunquam ani-
 malia dominos suos lugere ac deplorare coacta sunt. Pelopidam in
 acie occumbentem non sui modò Thebani luxerunt; sed & Thessa-
 li socii, quos, traditum est, & equorum comas & suos crines in
 signum luctûs reseculisse (k). Pari modo Persæ etiam occiso in-
 ter præliandum Masistio & seiplos, & equos, & jumenta totonde-
 runt (l). Ut autem è recentiore quoque memoriâ aliquid afferam-
 mus, Calechutani omnes Rege defunctò barbam ponunt, capi-
 te quæ detonso desiderium Regis testantur (m). † Sed quid tandem 92
 de abscisis fiebat crinibus? Injiciebant eos cum Hebili quædam vo-
 ciferatione tanquam donum extremum in sepulchrum (n). Id
 quod clarescit ex Iphigenia in Tauris apud Euripidem:

καὶ δάκρυ' ἀδελφῆ καὶ κόμας δότω τάφῳ.

Comas sepulchro da soror cum lacrymis.

Ex Statio item (o):

C 3

Exere

(e) cap. præcedent. Lem. f. n. 36. (f) Camerar. c. 1. succ. cap. 36. p. 154. ex
 Hier. Olorio. (g) Esr. cap. 9. v. 3. (h) in Calig. cap. 5. (i) Kirchmann. d. 1 p.
 215. è Diodoro Siculo. Confer Herod. Lib. 2. p. 162. (k) Plut. in vita Pelop. (l)
 Herodot. Lib. 9. (m) Magir. Polymn. f. 353. è Vartomanno. (n) Natal. Co-
 mes Myth. Lib. 1. c. 13. (o) Lib. 5. Epiced. in Patr. Vide Lipsii Lib. II. Elea, c.
 14. in fin.

*Exere semirutos subito de pulvere vultus
Parthenope, crinemq; afflato monte sepulti
Pone super tumulum.*

- 93 † Mos autem hic antiquissimus usque ab Homero traditur, apud quem Patrocli cadaver opertum amicorum capillis superjectis fuit (p). Et refert Cœlius Rhodiginus (q), sub Sixto Pontifice Maximo, hujus nominis IV, compertum Romæ in viâ Appiâ, è regione conditorii Ciceronis, muliebri cadaver, quod ex inscriptione conjectatum est, fuisse Tulliolæ; id fuisse aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret: in eo visos capillos aureo implicitos reticulo, summâ omnium admiratione. Sed ut è recentiore memoriâ etiam huc aliquid afferamus, testatur Busbequius (r), vidisse se apud Servianos in pago Jagodna ad plures tumulos in cœmeteriis appensas comas, quas mulieres aut puellæ in obitu necessariorum luctûs indicium posuissent. † Cæterum illa
- 94 crinina in mortuorum tumbas injectio, nescio annon simul consecrationis aliquam speciem præ se tulerit, ut intelligeretur videlicet, mortuis velut in Deorum numerum receptis aliquem hoc modo cultum præitari. Sanè verò Diis detonsam comam offerre solebat Gentilitas, ut jam dicemus.

LEMMA V.

Barba detonsa Diis dedicata. Ephebi Apollini suspendebant, item fluminibus. Cur? Tonsura initiationis nota. Barba tonsa ingens donum. Loco pignoris data. Juramentum per barbam. Contactus barba signum amicitiae.

- 95 **I**Ta enim est: Quemadmodum primi cujusq; arboris fructus; ita quoque barbarum primitiæ Diis consecrabantur. De Nerone etenim Claudio nemo nescit, illum inter Buthysiæ apparatus primam suam in aureâ pyxide conditam Jovi Capitolino dedicasse barbam (t). De Farino verò Germanici liberto testis Martialis est (p), illum puerilem comam suam Æsculapio detondisse, ita in-

dulcesq;

(p) Alex. ab Alex. Gen. dier. Lib. 3. c. 7. p. 128. (q) Antiq. Lib. 2. Cal. III. cap. 24. (r) In Epist. Turc. ep. 1. p. m. 34. (s) honorificæ consecrationis mentio hæc in re est apud Junium init. cap. 5. de Comâ. (t) ex Syet. in vit. ejus c. 12. (u) Lib. 9. Epigr. 17.

- - - - *dulcesq; capillos*
Pergameo posuit dona sacra DEO.

† Græcorum puberes comarum suarum primitias Deo offerebant Apollini. Refert enim Plutarchus temporibus Thesei morem fuisse, ut excedentes ex Ephebis Delphos profecti de tonsæ comæ primitias Phæbo consecrarent. Testatur hoc Epigrammatarius (x):

*ἄρων ἀνθήσαντας ὑπὸ κροτάφοισιν ἰάλας
Κειράμυθον γούων ἄρσενον ἀγγελίας.
Φύβω θῆκε λύκων πρῶτον γέρας.
Tempora succingens vultus lanugo virilis
Nuncia maturè florida tonsa cadit,
Phæbo has primitias sacrat Lyco.*

† Etiam Romanis hanc fuisse consuetudinem, diximus ex Martiali (y):

*Hos tibi, Phæbe, vovet totos à vertice crines
Enclopius, domini centurionis amor,
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili,
Quam primum longas, Phæbe, recide comas.
Dum nulla teneri sordens lanugine vultus,
Dumq; decent fusæ lactea colla juba.*

† Inventebantur præterea non pauci, qui cum ex ephebis egressi essent fluminibus ac stagnis capillum & barbam devoverent (z). De Memnone enim Auroræ filio testis est Philostratus, quod Nilo juvenile suum detonderit capillitium. Sic Achilles Sperchio Thesaliæ anni crinem rutilum dedicasse memoratur (a). Id quod tangit etiam Stautus (b):

Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.

† Causa verò, cur præcipue fluminibus capillos voverint, reddi solet ex Philosophiâ Thaletis, quem nemo ignorat rerum omnium sive principium sive elementum primum statuisse aquam. Ajunt ergò ideò fluminibus dedicatas fuisse capillorum primitias, ut intelligeretur rerum & ortum & incrementa cepisse ex aquis. Eidem facient verba, quæ leguntur apud Scholiasten Pindari citante insigni superioribus temporibus Academiæ hujus ornamento, ac nobili Critico Andrea Rivinò (c), quem præclara in bonas literas merita

(x) Vid. Hadr. Junius cap. 4. de comâ. (y) Lib. 1. Epigr. 32. (z) Coel. Rhod. Lib. 7. Cal. 4. Lect. antiq. cap. 23. Hadr. Jun. de Com. cap. 4. (a) Coel. Rhod. 1. 6. (b) Lib. 3. Sylvar. (c) Disput. de Majumis cap. 7. §. 13.

rita non patiuntur absq̄ve laude à nobis nominari: τὰς μὲν πρῶ-
 τας κόμας τοῖς ποταμοῖς ἀπεκείροντο, σύμβολον τῆ ἐξ ὕδατος εἶναι
 πάντων τὴν ἀσκησιν. Sed eo loco pro ἀσκησιν legendum putamus
 100 ἀυξήσιν. † Hæc alias fortassè legit Cælius Rhodiginus, cum scri-
 beret (d): *Inoleverat mos, ut, qui exephebi essent, capillum & barbam
 fluminibus & Apollini primùm tonderent, quem Curotrophon vocabant: sicut
 apud Homerum Achilles facit, & in Theseo à Plutarcho est repetitum, eo ar-
 gumento, quod ex humectâ fervidâq; naturâ constant animantium incremen-
 ta. Quibus cum conferri merentur hæc Hadr. Junii (e): Adolescentes
 ad consistentem usq̄ve et aetatem comam nutrire soliti, subsequente deinde tem-
 pore patriis eam fluminibus detonsam consecrabant, tribuentes hunc hono-
 rem aquæ, ut alimonie parenti, vitæq; conservatrici: unde & κρητρόςφοι*
 101 *epitheto dicti fuisse Poëtis fluvii.* † Sed quid est, quod Rhodiginus κρη-
 τρόςφοι facit Apollinis epitheton, Junius verò fluvii? Cùm alioq̄vi
 constet è Suidâ (f), terram potius ita cognominatam fuisse, id
 102 quod ipsum & ratio postulare videtur. † Vix dubium nobis, quin
 hauserint illi Viri docti sua ex alio Homeri interprete: è quo &
 hæc verba Varinum (g) descripsisse dixeris: *κρητρόςφοι ποταμοῖ
 ἐνομίζοντο διὰ τὴν ὑγρότητα καθὰ καὶ ὁ ἥλιος Ἀπόλλωνος διὰ θερμότη-
 τητα. κρητρόςφοι δὲ φασὶ τὰς τὴν νεότητα τρέφοντας.* Sed hæc alias
 103 perquirantur. † Nunc illud addendum, cujuslibet initiationis sym-
 bolum fuisse tonsuram. Ac videtur ab hoc Gentilium ritu aliquid
 ad Christianos etiam irrepsisse. Sanè Hadr. Junius (h), cum vesta-
 les virgines memoriâ stet, crinem ad Loton arborem Romæ ve-
 tustissimam consecrationis ergò detulisse, morem hunc ait etiam-
 nū observari in nostris vestalibus virginibus, (sacras illas intellige
 Moniales) ut initiandæ cirros capillorū tondeant, peculiaribusq;
 Divis voveant. Et Hotom. (i) ex illâ consuetudine, quâ pueris jam
 vel septennibus simul coma tonderi, simul nomen solebat imponi
 morem derivat, in sacro confirmationis sacramento tondendi ca-
 104 pillos. † Fuit autem & in illis initiationibus deditio-
 nis quædam ac servitutis nota. Nam Deo se alicui consecrare est illi se quasi in
 servitutem addicere. Sed nescias, num ab humanis ad divina, an
 à divinis ad humana mos ille processerit. Hoc certum, depositio-
 nem crinium pro sacrâ quâdam ac devotâ re habitam fuisse. Id
 105 quod de barbâ etiam intelligi debet. † Itaque scæderibus etiam
 atq̄ve

(d) Cæl. Rhod. l. c. (e) Cap. 4. de Com. (f) Voce κρητρόςφοι. (g) Lex.
 Voce κρητρόςφοι. (h) l. c. (i) Dialog. de Barb.

atq̄ve amicitias barba intervenit. Priscis Longobardis maximum fuit amoris vinculum, apud aliquem ponere barbam; Is enim intimo fœdere adstrictus erat, apud quem lanuginem quispiam deposuisset (k). Nobiles quoq; Longobardorum Spoletani Ducatus incolæ, qui auxilio adversus Francos Desiderio Regi Longobardorum ire recusarunt, Romam profecti in fidem Pontificis venientes capillum barbamq̄ve ponebant, quod apud eos sanctioris deditiois erat argumentum (l). Quid quod vel unicus è barbâ pilus loco chirographi fuit in professione debiti? Etenim Johannes Castrinus Hispanus, invictæ vir fortitudinis, cum prolixam venerabilemq̄ve haberet barbam, unum ejus duntaxat evulsit pilum, eumq̄ve oppignoravit pro ingenti pecuniâ solvendâ, quam à Goanis in Indiâ civibus mutuatus fuerat pro sustinendâ Diensis urbis obsidione, cum aliundè reditus non sufficerent (m). † Tanti viderelicet olim, quibus chara fides esset, suam æstimaverunt barbam. 106
† Itaque & jurare per eam mos obtinuit: prostantq̄ve hanc in rem 107
exempla Othonis Magni (n), & Friderici Ahenobarbi (o), Imperatorum: quorum uterq̄ve, si quid per barbam promisisset, sanctissime observari solitus est. † Venerabilis autem barba fuit 108
non sua tantùm illis, qui aliquid promittere, sed & aliena, qui quid impetrare vellent. Quo pertinet supplicantium mos vetustissimus, ut alterâ manu barbâ, alterâ genu ejus, cui supplicarent, attingerent, quem aliquot Homeri atq̄ve Euripidis advocatis locis confirmat illustris Barthius (p), atq̄ve huc Hebræorum quoque morem accommodat, quem discas ex historiâ Amasæ à Joabo interempti, quem sceleratus latro barbâ prehensum, quod signum habere volebat animi ipsi devoti, inopinato vulnere contrucidavit (q).

(k) Alex. ab Alex. Lib. 1. cap. 26. Gen. diar. p. 43. (l) Hotoman. dialog. de Barb. è Paulo Diacon. (m) Hotoman. d. l. (n) Jacob. Pontan. Attic. Bell. Part. II. Synt. 1. hist. 25. p. 387. è Cranzio. (o) Joh. Agricol. adag. germ. 733. (p) Ad Claudianum, L. 1. de rapt. Proserp. p. 877. 878. (q) 2. Samuel, 20.

D

ΠΑΡΕΡΓΑ.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

1. Judæi possunt tolerari in Republicâ.
2. Justitia universalis à Virtutibus morali-
bus non differt realiter, sed tantum con-
ceptu.
3. De essentiâ Legis est, ut sit justa.
5. Non fuit primæva quædam bonorum
communio.
6. Jus Naturæ est immutabile.
7. Voluntas non potest cogi.
8. Mores sequuntur temperamentum.
9. Bona fortunæ ad Summum Bonum perti-
nent.



Anat B 250, 14